

clior, formosior, et sanctor, cui
prædicanda cælestes et terrena
linguæ minimè sufficiunt. Tu.

FESTA JULII.

DE PRIMA.

VIGILIA VISITAT. B. V. M.

Simplex.

Officium de feriâ.

AD MATUTIN.

V. HYMNUS 272. *Parn. Virgini.*

Veni, præcelsa Domina,
MARIA, tu nos visita,
Ægras mentes illumina
Per sacre vitæ numicia.

Veni, Salvatrix sæculi,
Sordes aufer puæuli:
Tu visitando populum
Pene tolles periculum.

Veni, Regina gentium,
Dele flammæ reatum,
Rege quocumque devium,
Da vitam innocentium.

Veni, ut animum visites,
MARIA vires robores:
Virtute sacri impetûs
Ne fluctuetur animus.

Veni, laudemus Filium,
Laudemus Sanctum Spiritum,
Laudemus Patrem unicum,
Qui nobis det auxilium. Amen.

Psalm. antip. et vs. ut in fer. offic.
Lectio Sancti Evangelii secundum
Lucam.

LECTIO 1. c. 1. 36.

In illo tempore: Dixit Angelus ad
MARIAM: Ecce Elizabeth cognata
tua, et ipsa concepit Filium in
senectute sua. Et reliqua.

Homilia S. Bernardi Abbatis.
Super missus. hom. 4.

Quid fuit necesse etiã hujus steri-
litas Virgini nutrire conceptum?
Nunquid forte dubiam adhuc,
et incredulam oraculo, recentiori
voluit confirmari miraculo? Absit.

Die I. Julii.

Legimus et Zachariæ incredulita-
tem ab hoc ipso angelo fuisse casti-
gatam: MARIAM autem in aliquo
reprehensam non legimus, quin
potius fidem ipsius Elizabeth prophe-
tante laudatam cognovimus.
Beata es, inquit, quæ credidisti,
quoniã perferentur in te, quæ
dicta sunt tibi à Domino. Sed ideò
steritis; cognata Virgini nuntiatur,
ut dum miraculum miraculo addi-
tur, gaudium gaudio cumuletur.
Tu. ð.

LECTIO 2.

Porro necesse erat non modico
lætitia, et amoris præveniente in-
flamari incendio, quæ Filium pa-
ternæ dilectionis cum gaudio Spiritûs
Sancti mox fuerat conceptura.
Neque enim nisi in devotissimo
corde atque hilarissimo tanta se
capere poterat dulcedinis et alacri-
tatis affluentia. Vel ideò concep-
tus Elizabeth nuntiatur MARIE,
quia protectò decebat, ut verbum
mox divulgandum ubiquè, prius
seiret Virgo per Angelum, quàm
audiret ab homine: ne Mater vide-
licet Dei à consiliis Filii videretur
amota, si eorum quæ in terris tam
propè gererentur, remansisset ig-
nara. Tu. ð.

LECTIO 3.

Vel ideò potius conceptus Elizabeth
MARIE nuntiatus est, ut dum
nunc Salvatoris, nunc Præcursoris
edoceret adventum, rerum tem-
pus, et ordinem tenens ipsa, me-
lius postmodum scriptoribus, ac
prædicatoribus Evangelii reseret
veritatem, quæ et plenè de omni-
bus à principio fuerit instructa my-
steris, vel ideò adhuc nuntiatur
MARIE conceptus Elizabeth, ut
audiens cognatam vetulam et gra-
vidam, cogitet juvenula de obse-
quio, siquæ illà properante ad
visitandum parvulo propheta lo-

Die II. Julii.

IN I. VESPER.

Ant. 1. Ecce ego visitabo vos
absconditus in utero Matris meæ.

Psalmi de solemnitatib.

2. Parate viam Domini, rec-
tas facite semitas ejus.

3. Quam pulchrè graditur per
moriana Filia Principis, allel.

4. Dicite Zachariæ, nuntiate
Elizabeth: ecce cognata tua venit
ad te.

5. Occurrite ei, et suscipite
eccl'estem portam, ipsa enim portat
ostium vite in inviolato utero.

CAPITULUM. Luc. 1. 36.

Ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa
concepit filium in senectute sua,
et hic mensis sextus est illi, qui
vocalur sterilis.

Hodiè visitavit Elizabeth bea-
ta Virgo MARIA ex progenie Da-
vid, per quam salus mundi cre-
dendibus apparuit, Cujus vita
gloriosa lucem dedit sæculo. ¶
Beatissimæ Virginis MARIE visi-
tationem devotissimè celebremus.
—Cujus.—Gloria.—Hodiè.

Et dicitur tantum hæc de.

HYMNUS 274. *Brev. Paris.*

Quo Sanctus ardor te rapit,
O Virgo, flos d' Virginum?
Quo tendis et cito gradu
Consendis alta montium?

Urget te sacer Spiritus,
Toto repletam Numine:
Matris Dei jam dignitas
Nihil charitatis detrahit.

Tibi propinquam sanguinem
Matrem puella visilas,
Concessi cui divinitus
Grataris alvi munera.

O quanta matrum gaudia!
Stupente naturâ, gravem
Anum stipes, quæ Virginem
Fœlam Deo te prædicat.

Abscondita sub intimo
Cœu nube portabas sinu
Solem suo qui profinûs

cus et occasio detur, quo minori
adhuc Domino sui officii valeat ex-
hibere primitias: et dum ad se
invicem occurrit matrum, infan-
tumque ab alterutro excitata devo-
tio, mirabilis fiat miraculum de
miraculo. Tu. ð.

AD LAUDES.

V. HYMNUS 273. *Parn. Virgini.*

Veni, stella, lux gentium,
Infunde pacis radium:

Exullet cor in gaudium
Joannis aule Dominum.

Veni, Virgo regalium,
Reduc fluctus errantium,

Ad unitatem fidei
In quâ salvantur cœlici.

Veni, depose Spiritûs
Sancti dona propensius,

Ut dirigantur rectius
In hujus vitæ actibus.

Veni laudemus Filium,
Laudemus Sanctum Spiritum,
Laudemus Patrem unicum,
Qui nobis det auxilium. Amen.

Preces.

Oratio.

Exaudinos, Deus salutaris noster,
ut qui Visitationis Dei Genitricis
solemnitatem devotè prævenimus,
ab unigenito Filio tuo dignè vi-
sitari mereamur. Qui tecum vivit.

CANON.

Ex Bonifacio Papâ Nono.
Const. Superi benignitas an. 1389.
B. Rom. T. III. p. 11. p. 378.

327. Urbanus Papa Sextus
suasit et consuluit, ut Visitationis
Beate Virginis festi Vigilia, ut Vi-
gilia Nativitatis et Assumptionis
prædictæ Virginis festivitatum etiã
in observatione juveni devotius
observaretur. Tu.

Vesperæ de sequenti.

DIE II. JUL.

SOLEMNITAS

VISITATIONIS B. M. V.

Dupl. 1. Class. cum Octav.

Lustrabit orbem lumine.

JESU tibi sit gloria,

Mundo Redemptor qui venis,

Cum Patre et almo Spiritu

In sempiterna secula. Amen.

Hæc Doxol. dicitur per octav. in hymnis ejusdem metri.

ŷ. Visita nos in salutare tuo Domine.

ŷ. Ad videndum in bonitate electorum tuorum.

Ad Magnif. ant. Ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit infans in gaudio in utero meo, alleluia.

Oratio de Laudibus.

Completor. de Salutaria.

AD MATUTINUM.

Inclat. Per Virgineum MARIAM visitavit nos Dominus, Oriens ex alto.

HYMNUS 275. *Brev. Par.*

Montes superbum verticem,

Quò Virgo transit, subdite,

Qui se libenter sternerent

Vel ipsa cæli sydera.

Oculis, quæ lælet domi,

Audet foris se prodere:

Semper sibi timens pudor,

Se charitate protegit.

It illa, non necit moras:

Fugit videri, nec minus

Fugit videre, ne suo

Quidquam pudori detrahat.

Beata, quam pressit pede

Tellus! beata semita!

Colles beati, qui simul

Cum Matre sensitis Deum!

Beatiores hospites,

Vos ò quibus cælestia,

Loquente Matre Virgine,

Audire membra contigit!

JESU, tibi sit gloria,

Mundo Redemptor qui venis,

Cum Patre et almo Spiritu

In sempiterna secula. Amen.

IN I. NOCT.

*Ant. 1. Non est impossibile **

Die II. Julii.

apud Deum omne Verbum: Elizabeth sterilis concepit filium in senectute sua. *Psal. 10. In Domina. p. 4.*

2. MARIA abiit * cum festinatione in civitatem Judæ, ut salutaret Elizabeth. *Psal. 20. Dom. in virt. p. 20.*

3. Et intravit * domum Zachariæ, et salutavit cognatam suam. *Psal. 26. Domina ill. p. 26.*

ŷ. Fecit mihi magna, allel.

ŷ. Qui polens est, allel.

De Canticis canticorum.

LECTIO 4. c. 2. 8. Vox dilecti mei: ecce iste venit, saliens in montibus, transiens colles: similis est dilectus meus caprea, hinnuloque cervorum. En ipse stat post parietem nostram, respiciens per fenestras, transiens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi: surge, propra, amica mea, columba mea, formosa mea, et veni. Tu.

ŷ. Quæ est ista quæ processit sicut sol, et formosa languam Jerusalem: * Viderunt eam filie Sion, et beatissimam prædicaverunt. ŷ. Et scit dies verni circumdabant eam flores rosarum, et lilia convallium.—Viderunt.

LECTIO 2.

Jam enim hyems transit, imber abiit, et recessit: flores apparuerunt in terrâ nostrâ, tempus putationis advenit: Vox turturis audita est in terrâ nostrâ: feni protulit grossos suos: vineæ florentes dederunt odorem suum. Surge amica mea, speciosa mea, et veni. Tu.

ŷ. Intravit MARIA in domum Zachariæ, et salutavit Elizabeth: * Vox turturis audita est in terrâ nostrâ. ŷ. Jam hyems transit, imber abiit, et recessit.—Vox turturis.

Die II. Julii.

LECTIO 3.

Columba mea in foraminibus petrae, in cavernâ maceræ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis et facies tua decora. Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas. Dilectus meus mihi, et ego illi, qui pascutur inter lilia, donec aspiet dies, et inclinentur umbræ. Revertere, similis esto, dilecte mi, caprea: hinnuloque cervorum super montes Bether. Tu.

ŷ. Nobilis Elizabeth, de quâ canit alla prophetas, * Hoc operante Deo, germina læta refert. ŷ. O benedicta inter mulieres, undè mihi hoc, ut mater Domini visitet alla mei.—Hoc operante.—Gloria.—Nobilis.

In diebus infra octav. Hoc.

IN II. NOCT.

*Ant. 1. Repleta est * Spiritu Sancto Elizabeth, et exclamavit voce magnâ. Psal. 31. Beati. p. 27.*

2. Benedicta tu * inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. *Psal. 66. Deus miser. p. 21.*

3. Beata, * quæ credidisti quoniam perficerent in te, quæ dicla sunt tibi à Domino. *Psal. 114. Dilexi. p. 43.*

ŷ. Visitavit nos Dominus, allel.

ŷ. Oriens ex alto, allel.

Sermo Ven. Bedæ Presbyteri.

Libr. 1. in Luc. c. 1.

LECTIO 4.

Accepto Virginis consensu, mox Angelus cælestia repetit: illa petit montana, festinat invisere Elizabeth, non quasi incredula de oraculo, vel dubia de exemplo, sed ut læta pro voto, religiosa pro officio, typicum pariter exemplum tribuens, quod omnis anima, quæ Verbum Dei mente conceperit, vir-

lutum statim celsa cacumina gressu conscendat amoris: quatenus civitatem Juda, id est, confessionis, et laudis arcem penetrare, et usque ad perfectionem fidei, spei et charitatis, quasi tribus in eâ mensibus valeat commorari. Tu.

ŷ. Ad Domini adventum exiit de ventre Joannes, * Infans personit munere prece novus. ŷ. Dum pede non polait, motibus ivit iter.—Infans.

LECTIO 5.

Disce, Virgo, humilitatem MARIE: ut et corpore casta et pectore possis esse devota. Visitat junior seniore, salutavit Virgo uxorem, Decet enim, ut quo castior Virgo, eo sit humilior: et senioribus defereatur, humilior castitatis, præconio commendat humilitatis. MARIA ad Elizabeth: Dominus venit ad Joannem: hæc ut à Spiritu Sancto repletur, illius ut baptisma consecraretur, majorumque humiliatio, minorum est utique exaltatio. Tu.

ŷ. Trans uterum matris, quasi per specularia cernens, * Materna et cum pueri. Ora fenestra fuit. ŷ. Quandò exultavit ventre de ventre salutans.—Materna.

LECTIO 6.

Vocem prior Elizabeth audivit, sed Joannes prior gratiam sensit. Illa naturæ audivit, ille exultavit ratione mysterii. Illa MARIE, iste Domini sensit adventum. Iste gratiam loquuntur: illi intus operantur, pietatisque mysterium maternis adoriuntur profectibus, duplicique miraculo prophetant matres spiritu parvulorum. Exultavit infans, et repleta mater est: non prius mater repleta, quàm filius, sed cum filius repletus esset Spiritu Sancto, replevit et matrem. Tu.

ŷ. Visitatio est hodiè Sancta

MARIE Virginis: * Cujus pulchritudinem respexit Deus, et visitavit humilitatem ancillae suae. *ŷ.* Ista est speciosa electa à Domino, cuius Visitationem celebramus.—Cujus pulchr.—Gloria.—Visitatio.

In diebus infra octav. Cujus.

IN III. NOCT.

Ant. 1. Respexit Deus * humilitatem ancillae suae, et beatam me dicent omnes generationes. *Ps.* 149. Ad Dominum. p. 46.

2. Undè hoc mihi, * ut veniat Mater Domini mei ad me? *Ps.* 125. In convertendo. p. 47.

3. Visitavit nos * Dominus ad dirigendos pedes nostros in viam pacis. *Ps.* 131. Memento. p. 48.

ŷ. Visitavit nos Dominus, allel.

ŷ. El fecit redemptionem plebis suae, allel.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1. 39.

In illo tempore: Exurgens MARIA, abiit in montana cum festinatione, in civitatem David. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

In signum magnum.

Audierat Virgo, quod ex te nasceretur Sanctum, vocabitur filius Dei. Inde ventum est ad Elizabeth, et continuo Virginis gloria singularis eidem per Spiritum revelata. Denique et mirabatur, personam venientis, dicens: Undè hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Commendabat et vocem salutantis adjiciens: ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Tu.

ŷ. Solem justitiae Regem paritura supremum. * Stella maris MARIA hodiè visitavit Elizabeth. *ŷ.* Cernere divinum lumen, gaude te fideles.—Stella.

Benedict. Cujus Visitationem.

LECTIO 8.

Magna quidem praecognita, sed et devota humilitas, nihil sibi passa retinere, in eum magis universa refundit, cujus in se beneficia laudabuntur. Tu, inquit, magnificas Matrem Domini: sed magnificat anima mea Dominum: In voce meà filium perhibes exultasse in gaudio, sed exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo: et ipse quoque languàm amicus sponsi gaudet ad vocem Sponsi. Tu.

ŷ. Exclamavit MARIA, et dixit * Magnificat mea Dominum, et exultavit Spiritus meus in Deo salutari meo. *ŷ.* Beata, quae credidisti: quoniam perficerentur in te, quae dicta sunt tibi à Domino.—Magnificat.

Diebus infra Oct. loco hujus ŷ. dicitur inferius. Hodie.

LECTIO 9.

Beatam esse dicis, quae credidisset: sed credulitatis et beatitudinis causâ respectus est supernae pietatis, ut ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes, quia ancillam humilem et exiguam respexit Deus. Verum tamen cum quid putamus, fratres, Elizabeth sanctam in eo quod per Spiritum loquebatur, errasse? Absit. Beata planè quam respexit Deus, et beata quae credidit. Hic enim magnus divinae respectiois exitus fructus. Tu.

ŷ. Hodie visitavit Elizabeth Beata Virgo MARIA ex progenie David, per quam salus mundi creditibus apparuit. * Cujus vita gloria lucem dedit saeculo. *ŷ.* Beatissima: Virginis MARIE Visitationem devotissime celebremus.—Cujus.—Gloria.—Hodie.

Diebus infra. Oct. Cujus.

AD LAUDES

et per Horas Antiphonae.

1. Exurgens MARIA, * abiit

in montana, ut visitaret Elizabeth. *Psalmi de Dominica.*

2. Quàm pulchri * sunt gressus tui, Filia Principis!

3. Viderunt eam * filiae Sion, et beatissimam praedicaverunt.

4. Quae est ista, * quae ascendit per desertum sicut virgula fumi.

5. Revertere * Sion, revertere, ut intueamur te.

CAPITULUM. Luc. 1. 36.

Ecce Elizabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua, et hic mensis sextus est illi, quae vocatur sterilis.

HIMNUS 276.

Ad prima verba Virginis

Intus movente spiritu,

In matris alvo conditus

Infans Joannes gestit.

Agnovit infantem Deum:

Quem sensit, ardet proferre,

Vates et infans, quâ potest

Adesse Christum nuntiat.

Hic jam Redemptoris vices,

Praecognis ille sustinet:

Materna claustra non vastant,

Quin ambo munus impleant.

Felix puer, felix parens,

Felix Sacerdos et domus,

Qui per parentem Virginem

Deo fruntur hospite.

JESU, tibi sit gloria,

Mundi Redemptor, qui venis,

Cum Patre et almo Spiritu

In sempiterna saecula. Amen.

ŷ. Visita nos in salutaris tuo, Domine, alleluia.

ŷ. Ad videndum in bonitate electorum tuorum, alleluia,

Ad Benedict. ant. Beata quae credidisti, * quoniam perficerentur in te, quae dicta sunt tibi à Domino, et ait MARIA: Magnificat anima mea Dominum, alleluia.

Oratio.

Omnipotens sempiterna Deus,

qui ex abundantia charitatis Beatam MARIAM tuo Filio fecundalam, ad salutationem Elizabeth inspirasti, praesta, quae sumus, ut per eius Visitationem donis caelestibus repleamur, et ab omnibus adversatibus liberemur. Per eundem.

AD PRIMAM.

Ant. Exurgens. *Capit.* Ecce Elizabeth de Davidibus.

ŷ. ŷ. br. Quae cognatam tuam Elizabeth visitasti.

CANON.

Ex Bonifacio Papâ Nono.

Const. Superni Ben. an. 1389.—B.

Rom. Tom. 3. p. 2. p. 378.

528 Sexto idus Aprilis pontificatus sui anno undecimo * Urbanus Papâ Sextus * statuit, ut Festum Visitationis Beatae MARIE Virginis, quondò visitavit Elizabeth, sexto nonas Julii annis singulis in Dei Ecclesia cum laudum cantico, laetitia-jubilo, cordisque tripudio sub duplici officio per orbem universum solemniter celebraretur. Tu.

AD TERTIAM.

CAPITULUM Luc. 1. 41.

Factum est, ut audivit salutationem MARIE Elizabeth, exultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu Sancto Elizabeth.

ŷ. br. Fecit mihi magna, * allel. alleluia.—Fecit, *ŷ.* Qui potens est.

—Alleluia.—Gloria.—Fecit.

ŷ. Visitavit nos Dominus, allel.

ŷ. Oriens ex alto, alleluia.

AD SEXTAM.

CAPITULUM 2. Reg. 6. 11.

Habitavit arca Domini in domo Obdedon Gethai tribus mensibus, et benedixit Dominus Obdedon et omnem domum ejus.

ŷ. br. Visitavit nos Dominus, * allel., alle.—Visitav. *ŷ.* Oriens ex alto.—Allel.—Glor.—Visitav.

ŷ. Visitavit nos Dominus, allel.
ŷ. Et fecit redemptionem plebis suae, allel.

AD NONAM.

CAPITULUM. 2. Reg. 6. 12.
Nantiatunque est Regi David, quod benedixisset Dominus Obededen, et omnia ejus propter Arcam Dei.

ŷ. *br.* Visitavit nos Dominus, * allel., allel.—Visitav. ŷ. Oriens ex alto.—Allel.—Gloria.—Visitavit.

ŷ. Visita nos in salutari tuo, Domine, allel.

ŷ. Ad videndum in bonitate electorum tuorum, allel.

IN II. VESPER.

Ant. 1. Visitavit * Elizabeth Virgo MARIA, et repleta est Spiritu Sancto. *Psalm. de Solemnit.*

2. Visitasti terram, * et inebriasti eam, multiplicasti locupletare eam.

3. Veni, Domina, * et visita nos in salutari tuo.

4. Visita * vineam istam, quam plantavit dextera tua.

5. Et ut facta est * vox salutationis, MARIE, repleta est Spiritu Sancto Elizabeth.

CAPITULUM. Luc. 1. 36.

Eccc Elizabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua, et hic mensis sextus est illi, quae vocatur sterilis.

ŷ. *Ut in 1. Vesper.* Hodie visitavit.

HYMNUS 277.

Hunc diem festum veneremur omnes,

Quo Deus nostrum miseratus ævum,

Cum novis signis veniens ab alto

Visitat orbem.

Cesset humani generis querela,

Virginis claustrum subito Redemptor,

Girat et cœlum recubans sub arcto Tegmine Matris.

Dum latet subitus trabeâ decenti;
Angelus cedit repelens olympum:

Transiit clyvum gravidata Divo Munere Virgo.

Obvial facta sterilis vocata Clamat, ut sensit puerum moveri

Inter obscuras positum latebras Carcere ventris.

Parvulus miles dominum salutat, Et sumum complet Dominus eicentem,

Hesperus tandem rutilat coruscans Lumine solis.

O Dei nostri Genitrix beata, Visita mentes hodiè tuorum,

Ut suo fructu satiatur agmen Criminis experts.

Sit decus summum sine fine Christo,

Virgo quem sacra genuit MARIA, Qui Patri compar Spiritui Sancto

Regnat in ævum. Amen.

ŷ. Visita nos in salutari tuo, Domina.

ŷ. Ad videndum in bonitate electorum tuorum.

Ad Magnif. ant. Mensit autem MARIA cum Elizabeth quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam, alleluia.

Oratio ut supra.
Completor. de Dominica.

—

In diebus infra octavam etiam in festis officium sit ut in die, nisi aliter notetur, cum Lect. 1. Noct. et Psalmis de ferid.

DIE III. JUL.

SS. VESTIUM B. M. V.

Duplex.

Oratio.

Praesta quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui sacratissimas Vestes Immaculatæ Virginis veneramus, vilis exuli, sanctas virtutes, ipsâ intercedente, induere possimus. Per Dominum nostrum.

Lect. 1. Noct. de ferid.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex histor. Euthym. apud S. Joann. Damasc.

Oratio 2. de Assumpt. B. M. V.
Cum Sancta Pulcherrima Beata Virginis aedem extruxisset, accio Juvenali Jerosolymorum Archiepiscopo, et aliis Palestinae Episcopis, qui tum ob concilium Chalcedone coactum in urbe imperiali peregrè agebant, ab eis, ubi corpus Beatæ Virginis MARIE esset conquisivit,

ut ejus reliquiae venerandæ ad Blachernas essent translate. Quem sermonem excipiens Juvenalis, Imperatrici respondit, quod post Sanctæ Virginis mortem, cum tumulum aperuissent, atque ex eo inenarrabili quâdam suavitate perfusi fuissent, loculum munierunt. Tu.

ŷ. Signum magnum apparuit in cœlo, Mulier amicta sole, et inna sub pedibus ejus, et in capite ejus corona stellarum duodecim. ŷ. Assit Regina à dextris tuis, cum vestitu deaurato circumdata variatate.

—

LECTIO 5.

Quod cum Imperatores audissent, ab eo Archiepiscopo Juvenali contenderunt, ut sanctus ille loculus, unâ cum gloriosæ ac Sanctissimæ Dei Genitricis vestimentis, quæ in eo erant, diligenter ad se mitteretur. Quod cum contingisset, eum in venerandâ aede Sanctæ Dei Matris, quæ in Blachernis structa erat, condiderunt, atque ad hunc modum se habuerunt. Tu.

ŷ. Gaudens gaudebo in Domino, et exultabit anima mea in Deo meo, Quia induit me vestimentis salutaris, et indumento justitiæ circumdedit me. ŷ. Odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris.—Quia.

—

LECTIO 6.

Ex Martirol. Gallicano die 2 Jul.
Sed postea captâ à Latinis eadem imperatricis urbe, ipsa Zona cum magnâ parte puppi beatissimæ ipsius Dei Genitricis, à Nivelone venerabili Episcopo Suesionem transvecta, una cum innumeris pretiosissimis lipsanis in antiquâ Sanctæ MARIE Basilicâ cœnobii Virginiae solempni pompâ reposita, magno illi honore conservatur. Tu.

ŷ. Stragulatam vestem fecit sibi, byssus et purpura indumentum ejus: * Et ridebit in die novissimo. ŷ. Exuit se vestimento viduitatis, et induit se vestimento lætitiæ in exultatione filiorum Israel.—Et.—Gloria.—Et.

—

IN III. NOCT.

Si hoc festum transferatur extra Octov. dicitur Homil. de Comm. pro Duplicit.
Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1. 39.
In illo tempore: Exurgens MARIA abiit in montana cum festinatione in civitatem David. Et reliqua.
Homilia S. Andreae Cretensis.
Orat. in Salut. Angelicâ.
Benedicta tu inter mulieres, ac verè quidem benedicta, nam benedixit tibi sibi ipsi Deus in tabernaculum. Quoniam maternâ gloriâ superbundantem horum JESUM-Christum, eundem quoquè Deum perfectissimum iis naturis, ex quibus et in quibus constitit, ineffabili quodam modo in utero tuo gestisti. Tu. ŷ.
Bened. 8. Cnjus Vestimenta.
LECTIO 8.
Benedicta tu in mulieribus, quæ cœlestem thesaurum in quo alii omnes sapientiæ et cognitionis thesauri sunt reconditi, in tuo virginitalis tuæ velut promptuario liberimè complexa es. Verè tu liber-

dicta: cujus venter acervus quidem arca, quoniam fructum benedictionis, spicam immortalitatis Christum, inquam, sine seminatis ac coloni operâ perfectissimè produxisti. Tu. ♀.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Messanensis de Litterâ.

Gumpenb. 43.

Messanæ sacellum quod ex nuncupatione Epistolæ ad Messanenses à Divâ Virgine missæ de Litterâ appellatur, Desparæ jam à primis sæculis sacrum est, quod ipsâ vetustate magis religiosum sanctumque habetur. Anno vero millesimo sexcentesimo vigesimo nono atque ipso die tertio nonas Junii, festo Epistolæ, recentioris etiâ structuræ opera simul ac magnifica designatione coli crepit angustius. Imago ipsa reliquarum omnium, quæ deinde variis est modis picta, sculptaque, est antiquissima et in mirâ veneratione. Communi fide creditur esse opus Sancti Lucae, Græcâ hæc epigraphe insignis: Velocauscultatrix. Tu. Te Matrem.

Vesperæ ut in 2. Vesp. Visitationis.

DIE IV. JUL.

DE III. DIE INFRA OCT. VIS.

Semiduplex.

AD MATUTIN.

HYMNUS 278. *Parn. Marian.*

O Christi Mater colica

Fons vivus fluens gratiâ:

Lux pellens cuncta schismata,

MARIA Deo proxima.

Ex motu veri luminis

Transivit in monticula

Virgo juvare velulam

De Præcursore gravidam.

Mater venit de Nazareth,

Ut salvet Elizabeth:

Replentur dono Spiritus

Anus et ejus filius.

Elizabeth complacuit,

Quòd Mater Dei affuit,

Infans gaudet in utero,

Præsentè Christo Domino.

MARIE Visitatio

Exemplum dat pro bravio:

Quòd sit parata omnibus

Ipsam piè quaerentibus.

Trinitatis clementia

Cuncta lavel faciora:

Per Matris Christi merita

Nos ducat ad caelestia.

JESU, tibi sit gloria

Mundo Redemptor qui venis,

Cum Patre et almo Spiritu

In sempiterna sæcula. Amen.

Lect. 1. Noct. de fer. occur.

IN II. NOCT.

Sermo S. Gregorii Thaumaturgii

Episcopi.

Serm. 2. in ann. B. V.

LECTIO 4.

Ut autem audivit salutationem: MARIE Elizabeth, exultavit infans præ júbilo in utero ejus, et repleta est Spiritu Sancto Elizabeth: vox igitur MARIE efficax fuit, Spiritu Sancto replevit Elizabeth, ac velut ex perenni quodam fonte, instrumento lingue, flumen charismatum per prophetiam cognatæ suæ emisit: et pedibus infantis in utero colligatis saltum et exultationem suppeditavit. Quod quidem miraculosi tripudii symbolum signumque erat. Nam ubi gratiâ plena adventi, gaudio cuncta repleta sunt. Exclamavit autem magnâ voce Elizabeth, et dixit: Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Et undè hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me? Tu. ♀.

LECTIO 5.

Benedicta tu in mulieribus. Tu quippè ipsis principum reparationis effecta es. Tu fiduciam in pa-

radium introitus nobis dedisti, et antiquum dolorem, lætumque fugasti. Non enim amplius post te mulierum genus vituperatur: non amplius hæredes Evæ antiquam maledictionem timeant, neque partus dolorem reformidant, quoniam Christus humani generis Redemptor, Salvator universæ naturæ, spiritualis Adam, terreni hominis vultus curans ex sancto tuo utero procedit. Tu. ♀.

LECTIO 6.

Benedicta tu in mulieribus et benedictus fructus ventris tui. Omnium enim honorum plantator tuus fructus effectus est. Præclara quidem videmus etiâ sterilis Elizabeth verba: ac illustriora vicissim Sanctissima prolata est Virgo, et canticum Deo gratiarum actionis, bonique odoris, ac theologiae plenum retribuit, cum antiquis nova adnuntians, cum iis quæ à seculo et ab initio, ea quæ in sæculorum consummatione acciderunt, prædicans, brevique sermone Christi mysteria summam præstingens. At autem MARIA: Magnificat anima mea Dominum. Tu. ♀.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1. 39.

In illo tempore: Exurgens MARIA abiit in montana cum festinatione in civitatem David. Et reliqua.

Homilia S. Thomæ Arch. Valentini.

Conc. de Visitatione.

Hæc licet Virgo per montana tota inflammata cum festinatione incedit. Quo enim Virgo plena, ait Ambrosius, nisi in montana consecnderet? Psalmus: Montes excelsi cervis, petra refugium herinacis. Cum festinatione vadit: non enim ponderi est infans in utero, sed levamini. Impregnata, sed non ag-

gravata. Gravida sine gravamine. Quomodo enim gravaret in utero Matrem Verbum Dei, quo omnia susinuntur? Porlat enim omnia vero virtutis suæ. Tu. ♀.

LECTIO 8.

Factus in utero Matrem ipsam portat, et veluti radius flamigerans, vaporis virgineo impressus, corpus levat in montana, animam rapit in caelestia. O felix silva, quæ talem viatorem habuisti! O admirabile spectaculum! Puer deificus, Infans caelestis, nondum natus, jam iter agit in montana. O currus triumphalis uteri virginalis, quo celestis Rex, non tam hominum, quam Angelorum catervâ stipatus, itineratur, vehitur per montana! Clarior est currus illâ quadrigâ igneâ, quæ vectus est Elias in caelum. Ibi ardor igneus. Hic ardor Spiritus. Ibi quadrigâ equorum, hic virtutum. Ibi vehitur propheta, hic Deus prophetarum. Tu. ♀.

LECTIO 9.

Commem. Sanctæ Mariæ à Palmis.

Spinelli de festis et templ. Desip. Sancta MARIA à Palmis Romæ viâ Appiæ extra portam Sancti Sebastiani, sic dicta à palmarum multitudine, quæ ibi olim erat cum templo Martis. Hoc in loco, quemadmodum perveltis figura supra templi fores indicat, Christus Sancto Petro Neronis rabiem fugienti occurrit, eidemque roganti: Domine, quo vadis? respondit: Romam iterum crucifigi: atque in lapide pedum suorum vestigia impressit, undè factum est, ut hæc Ecclesia Sanctæ MARIE à Plantis dicta etiâ sit. Cum autem hoc templum præ vetustate ruinam minari videretur, cardinalis Toletus pro suâ in Virgine pietate refici curavit. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES

HYMNI 279. *Caryophil.*

Vi suâ magnum petit ima pondus;
Pondus est prægnans uterus puellis;
Una sed Virgo petit alta ventris
Pondere ducta.

* Plena divini gravitate Verbi
Tendit ad montes properantem gressu;
Visit agnatum, sterilique natum
Ventre Joannem.

Ponderis tanti gravitate pressa,
Se vel ancillam canit illa Verbi:
Mater ut Verbi superavit omnes
Pondere celos.

Pondus hoc Matris geritur, goril-
que:
Matris hoc ventrem leve pondus im-
plet:

Quid magis Verbo leve? Quidve
Verbi

Pondere majus?
Pondus hoc nobis levitate tollit
Criminum pondus: gravitate donat
Pondus æternum, labor ut caducus
Duret in ævum. Amen.

CANON.

Ex Bonifacio Papâ Nono.

Const. ut supr.

329. Mandavit Prædecessor nos-
ter, quod simile, non tamenduplex,
(Visitationis) Officium... per septem
sequentes dies in Dei Ecclesiâ cum
celebritate debita decantetur. Tu.

Vesperæ de infra Oct. Duplex.

DIE V. JULI.

TRIUM EXCELLENTIAR. B. M. V.

Duplex.

*Omnia ut in die Visit. nisi tran-
sferatur.*

LECT. 1. Noct. de fer. occurr.

IN II. NOCT.

Sermo Sancti Bernardini Senensis.
Serm. de Ann. art. 1. c. 1. et seq.

LECTIO 4.

Prima Excellentia MARIE est na-
turæ. Triplici namque modo in Ave

hæc naturæ excellentia demonstra-
tur. Primo modo Ave, id est, sine
væ. Et hoc triplici quidem modo,
qui subjacet totum femineum genus,
scilicet, pudoris, laboris, et dolo-
ris. Fuit enim sine væ pudoris in
conceptione, sine væ laboris in ge-
statione, sine væ doloris in partu-
ritatione. Secundo modo, quia ab
alio triplici væ immunis fuit, scilicet,
concupiscentiæ, culpæ et pe-
næ. Fuit enim Beata Virgo sine
primo væ, hoc est, sine tyranno
concupiscentiæ peccati originalis,
quia sine ipso concepta est. Fuit
sine secundo væ, scilicet, culpæ et pe-
næ, et venialis. Fuit sine tertio
væ, scilicet, peenæ, quæ in separa-
tione animæ et corporis, quæ esse
incineratio et corporis dissolutio.
Tertio modo, quia fuit sine alio
triplici væ, scilicet, carnis, mundi
et diaboli, sive tria ei defuerunt,
avaritiam namque exclusit per pau-
peritatem, luxuriam per virginia-
tem, diabolum verò, vel superbiam
per humilitatem. Tu. ¶

LECTIO 5.

Secunda Excellentia est gratiæ, de
quâ angelus subdit: Gratiâ plena.
Hoc secundum triplicem intelle-
ctum exponi potest. Primus est gra-
tiâ plena. Gratiâ, inquam, scilicet,
corporali, spirituali, et singu-
lari. Nam gratia corporalis fuit
gratia Virginitatis in carne. Gratiâ
spiritualis fuit abundantia virtutum
in mente. Gratiâ singularis fuit
præsentia filii Dei in ventre. Sec-
undus intellectus, Gratiâ plena,
nam fuit in eâ profunditas humili-
tatis, puritas Virginitatis, et solidi-
tatis charitatis, quas has virtutes
plenissimè habuit, et in summo. Ad
hoc enim, quod vas impleatur, et
teneat liquorem bonum, ista tria
requiruntur, scilicet, quod vas sit
vacuum, sive profundum, quod sit

purum, quodque sit solidum, sive
firmum, quæ omnia fuerunt in Vir-
gine Matre. Tertius insuper intel-
lectus, Gratiâ plena. Omnis nempe
gratiâ, quæ huic sæculo commu-
nicatur, triplicem habet processum.
Nam à Deo in Christum, à Christo
in Virginem, à Virgine in nos or-
dinatissimè dispensatur. Tu. ¶

LECTIO 6.

Tertia Virginis Excellentia est glori-
æ, de quâ per angelum subsistentur,
Dominus tecum, quod triplici-
tèr exponi potest. Primo modo,
Dominus enim est Pater, Dominus
Filius, Dominus Spiritus Sanctus.
Tecum Dominus Pater, quia tu
Sponsa Patris, Tecum Dominus Fi-
lius, quia tu Mater Filii. Tecum
Dominus Spiritus Sanctus, quia tu
Spiritus Sancti thesauraria com-
probaris. Secundò etiâ Dominus
tecum: tecum autem ante uterum,
tecum in utero, tecum post ute-
rum. Ante uterum te præsignans
in multis figuris, et prophetiis. In
utero te sanctificans. Post uterum
te fundans. Tertio quoque Do-
minus tecum, tecum enim in mente,
tecum in ventre, tecum in polesta-
te. Tecum namque in mente per
virtutum abundantiam. Tecum in
ventre per suam præsentiam. Tecum
in polestate propter peccatorum
indulgentiam, cum de Deo
nobis facias quiddam tuæ placuerit
charitati. Tu. ¶

IN III. NOCT.

*Si hoc fest. transfer. dicitur
Hom. de comm. pro Duplicè.*
LECTIO S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1. 39.

In illo tempore: Exurgens MARIA
ablit in montana cum festinatione
in civitalem Juda. Et reliqua.

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

In Luc. libr. 2.

Benedicta tu inter mulieres, et be-

nedictus fructus ventris tui. Quis
est iste fructus ventris tui, nisi
ille, de quo dictum est: ecce hære-
ditas Domini, filii merces fructus
ventris? Hoc est, hæreditas Domi-
ni filii sunt, qui merces sunt fru-
ctus illius, qui de MARIE ventre
processit. Ipse fructus ventris est
flos radicis, de quo bene propheta-
vit Isaias dicens: exciet virga de ra-
dice Jesse, et flos de radice ejus
ascendet. Radix enim est familia
Judæorum, virga MARIA, flos MA-
RIE Christus. Tu. ¶

LECTIO 8.

Et undè hoc mihi, ut veniat Mater
Domini mei ad me? Non quasi igno-
rans dicis. Scit enim esse Spiritus
Sancti gratiam et operationem,
ut mater prophetæ à Matre Domini
ad proleum sui pignoris salute-
tur. Sed quasi non humani hoc
meriti, sed diviæ gratiæ munus
esse agnoscat, ita dicit: Undè hoc
mihi? Hoc est, quantum bonum
mihi accidit, ut Mater Domini mei
veniat ad me, non cognosco mecum.
Undè hoc mihi? quâ iustitiâ? pro
quibus facis? pro quibus meritis?
Non usitata hæc officia feminarum
sunt, ut veniat Mater Domini mei
ad me. Miraculum sentio, cognosco
mysterium, Mater Domini Ver-
bo facta, Deo plena est. Tu. ¶

LECTIO 9.

Ecce enim ut facta est vox salu-
tationis tuæ in auribus meis, exul-
tavisti in gaudio infans in utero meo.
Et beata qua credidisti. Videro non
dubitalle MARIAM, sed credidisse,
et in Deo fructum fidei consecu-
tum. Beata, inquit, qua credidisti.
Sed et vos beati, qui auditis et
creditis. Quæcumque enim credi-
derit animam, et concipit, et gene-
rat Dei verbum, et opera ejus ag-
noscit. Tu. Te Matrem.

Vesperæ de infra Oct. Dupl.

DIE VI. JUL.

PRODIGIORUM B. M. V.

Duplex.

Omnia ut in die Visitali, nisi transfer.
Lect. 1. Noct. de ferid.

IN II. NOCT.

Ex verbis S. Theodori Studite in
Canone.

Bibliot. max. Tom. 2. c. 746.

LECTIO 4.

Regiam stolam ex te, Virgo, Deus gestans hominibus apparuit, in hominum formâ, duplex secundum essentiam, cujus effigiem et figuram veneramus. Verè te Dominam confitemur, quæ Deum peperisti, Nestori nugis neglectis, et Sanctorum Patrum dogmatibus inhaeremus. Sanctis Sanctior, et omnibus creaturis excelsior, tu sola apparuisti Mater simul et Virgo Dei genitrix, cum ipsum tuum Creatorem pepereris, quâ propter Sanctam Imaginem veneramus. Tu. ♀.

LECTIO 3.

Opurissima Virgo à Deo glorificata, civitas Dei à prophetis merito es pronuntiata, ex quâ ortus est ipsemet tui Creator, qui te post partum ut ante virginem conservavit. Dei Genitrix, quæ omnium es auxilium, refugium et protectio, ostende quæsumus te, quod pro omnibus, qui ad te confugiunt, vales intercedere, sicut è contra impios rejects, tui Filii potentia: omnia siquidem potes, ut ejus Mater. Tu. ♀.

LECTIO 6.

Sermo D. Hesichii Pbr. Jerosolymilani.

Orat. 2. in SS. Deipar.

Vides qualis et quanta est Deiparæ Sanctissimæ dignitas. Unigenitus enim Dei Filius, mundi conditor, velut infans gestabatur ab eâ, et Adamum reformabat, Evamque

sanctificabat, excluderat Draconem, et paradysum aperiebat, sigillum uteri muniebat. Aperiebat enim paradysum, quoniam latronem introducturus erat in eum, cunctosque regni hæredes deducturus. Sigillum uteri muniebat eo quod is, qui carnem assumebat, esset Deus et Verbum, nequaquam opus habens portas aperiendi, ingrediendi causâ aut egrediendi. Tu. ♀.

IN III. NOCT.

Si hoc fest. transfertur dicitur Homil. de comm. pro Duplicib.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1. 39.

In illo tempore: Exurgens MARIA abili in montana cum festinatione in civitatem Juda. Et reliqua.

Homilia S. Andrea Cretensis. Ep.

Oratio in Salutatione Angele.

Tu verè benedicta, quæ sola in matribus omnibus digna es habita Mater conditoris tui, ac illa quidem, ut quæ matribus contingunt, ignorares, quippè quod ex te per partum prodit, virginitatem tuam haud corrupti, nam qui formavit, idem quoque communicavit castitatis tuæ signacula. Reverè benedicta tu, quæ sola sine viro concepsisti, et in utero eum gessisti, qui celos expandit, ac virginitatis tuæ terram coelestem reddidit. Tu. ♀.

LECTIO 8.

Benedicta tu in mulieribus, quæ sola benedictionem es sortita, quam Deus gentibus per Abrahamum promiserat. Verè tu benedicta, ut quæ benedicti pueri JESU-Christi servatoris nostri mater es nuncupata. Propter quam gentes acclamant: benedictus, qui venit in nomine Domini, et benedictum nomen ejus in sempiternum, et replebitur gloria ejus universa terra: fiat, fiat. Tu. ♀.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Mantuanæ de
Gratiis.

Gampemb. 122.

Non longè à Mantuanâ urbe in Italiâ Sacellum est, et in Sacello Deiparæ Imago exigui operis. Ejus origo ignoratur: in hoc sacello sub annum millesimum trecentessimum Mantuæ Marchio Franciscus Gonzaga remedium invenit pestiferæ lui, quæ omnia medicorum et medicinæ consilia eluserat. Vix enim vocit Virgini in eo loco templum augustius, quod et mole suâ et magnificentia posteris beneficium sublato contagii testaretur, quod saltem cessavit quasatio. Nec etiã lentum experia Virgo est Principem. Quam potuit celerimè enim præsidiū extruxit, quin etiã suum præsidiū, quàm promissit, conobium Virginium templo adjungens. Tu. Te Matrem.

Vesperæ ut in secum Vesp. Visitatione.

DIE VII. JUL.

DE VI. DIE INFERA OCTAV.

Semiduplex.

Oratio.

Deus qui de Beatæ MARIE Virginis utero Precursorem tuum, nondum in lucem editum sanctificasti: da Ecclesie tuæ, ut quos spiritali regeneratione concepit, purificatos tibi pariat filios adoptionis. Qui vivis et regnas.

AD MATUTIN.

HYMNUS 279.

Ecce quàm fructu genitrix utroque Digna! quàm fructus genitricis dignus!

Hæc Deum Virgo, sterilis recondit
Illa prophetam.

Fac tuos puris hodiè clientes,

Virgo, collustrer radiis Redemptor
Ille, quem prodit rova nascituro
Gratia vali.

Det sequi certo pede, quâ præstiti,
Dum Patris summi parlarua prolem,
Vilis ancillæ titulo modesto
Pectore præfers.

Qui paras talem, Deusalme, terris
Ut tuo Christo præcat, lucernam,
Nos, bonus, turmis præcibus MARIE
Junge superis. Amen.

Lect. 1. Noct. de ferid.

IN II. NOCT.

Sermo S. Maximi Episcopi.
Homil. 1. in Nativ. S. J. Bapt.

LECTIO 4.

Elizabeth illa vetus mulier, et nova mater, quæ ante partum suum de futuri filii lactabatur officio, venienti ad se Beatæ MARIE in ipso salutationis occurso ait: Ecce ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultavit in gaudio infans in utero meo. Tu. ♀.

LECTIO 3.

Quid hoc est miraculi, fratres, quæ tantorum novitas gaudiorum, habere se in utero Elizabeth testaretur infantem, qui necdum semetipsum sentiens, Domini jam sentiret adventum? Verè hic omnium beatissimus parvulorum, qui intra viscera adhuc materna conclusus, adesse Salvatorem mundi, quæ necdum sermone poterat, propheticum gaudio revelavit. Tu. ♀.

LECTIO 6.

Nullus ignorat, carissimi, omnem parvulum materno ab utero procedentem inter ipsa lucis exordia mœstis conerepare vagitibus: solus Baptista Domini ultra legem nascentium natalivatem suam lætitiæ exultatione prevenit. Et quem decuit, fratres, ut de matre sterili nasceretur, qui secunditatem Virginis revelabat, quatenus mirabilem par-

tum mirabilis mirabilitèr natus ostenderet. Tu. 3.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1. 39.

In illo tempore: Exurgens MARIA abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda. Et reliqua.

Homilia V. Bedæ Presbyteri.

In *Visitat. B. V.*

Aplè post visionem angeli in montana subiit, quæ gustatâ suavitate supernorum civium humilitatis gressibus ad virtutum alta se transtulit. Intra ergo domum Zachariæ, atque Elizabeth, quam servum ac præcursorem Domini parituras noverat, salutat, non quasi dubia de oraculo, quod acceperat, sed ut congratulatura de dono quod conservam accepisse didicerat: non ut verbum Angeli mulieris atlestatione probaret, sed ut mulieri protracta ætatis Virgo juvencula ministerium sedula impenderet. Tu. 3.

LECTIO 8.

Ut autem salutationem MARIA Elizabeth audivit, exultavit infans in utero ejus, et repleta est Spiritu Sancto Elizabeth. Aperiente os ad salutandum Beatâ MARIA, repleta est mox Spiritu Sancto Elizabeth, repletus est Joannes, atque uno eodemque Spiritu ambo edocti, illa salutantem quæ esset, agnovit, et ut Matrem Domini sui debita cum benedictione venerata est, ille ipsam Dominum esse, qui in utero Virginis portaretur, intellexit: et quia lingua necdum valuit, animo exultante salutavit, officium suæ præcursoris quam devotè, quam libentè juvenis esset impleturus, et antequàm nasceretur, adveniente Domino, quibus valebat iudiciis, intimavit. Tu. 3.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Mislenicensis.

Gampben. 346.

Hæc sacra Imago Deiparæ nomen habet ab oppido, in quo est, distatque quatuor omnino leucis Cracoviâ. Picta est in tabulâ quærnâ è tribus minoribus compactâ, longa cubitum unum, et sesqui quadrantem cubiti: latitudo eadem est: opus est italicum, et artificium exactum. Imago hæc advecta est Venetiis in Poloniam à quodam Duce Cracoviensi, eidem donata, ut res pretiosissima à Moniali quâdam Sixti V. nephe, quæ eam ab hoc Pontifice accepit. Anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, mense Mayo multoties hæc imago copiose sudavit, facie Virginis rosæ instar rubente: odor etiâ sentiebatur valdè gratus: undè insitula ritu Ecclesiastico seriâ inquisitione pro miraculosâ habita est, et ut talis cum pompâ templo parochiali illata, mensis Julii die secundâ, ubi plurimis miraculis etiâ clareret. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Bonifacio Papâ Nono.

In *Bulla* Superni benigni. an. 1389.

—*Bull. R. t. 3. p. 2. p. 378.*

330. Universos Ecclesiarum Prælatos monemus, et hortamur in Domino.... in virtute Sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandantes, et in remissionem peccatorum injungentes, quatenus tam gloriosum festum et celebre «*Visitationis Beatæ Virginis MARIE*» annis singulis sexto Nonas Julii devotè ac solemniter celebrent, ac jejunium vigiliæ hujusmodi suadeant in augmentum meriti observari. Tu.

Vesper. ut in die. Orat. sequent.

DIE VIII. JUL.

DULCEDINIS B. M. V.

Duplex.

Omnia, ut in die Visitationis, nisi transferatur.

Oratio.

Præsta, quasumus, Omnipotens Deus, ut tui amoris suavitate repleantur corda nostra, qui Dulcedinem Sanctissimæ Genitricis tuæ toto cordis affectu hodiè recolimus. Qui vivis et regnas.

Lect. 1. Noct. de ferid.

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni Ep.

De laudib. B. V. l. 4. c. 26.

LECTIO 4.

De dulcedine MARIE hic notandum, quæ generalis est, et universalis. Undè de eâ dicitur: Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictum ipsius, sed lætitiâ et gaudium. MARIA dulcis fructu, idest, Filio, à quo potissima dulcedo ipsius; quia à Filio traxit omnem dulcorem. De quo videlicet fructu dicit fidelis anima: fructus ejus, scilicet MARIE dulcis gutturi meo. Initium dulcoris habet fructus illius contra hoc quod primus fructus Evæ habuit initium amaritudinis. Tu. 3.

LECTIO 5.

MARIA dulcis Spiritu. Undè Spiritus meus super mel dulcis. Spiritus MARIE nihil habet amaritudinis, sed totum dulcoris. Sicut enim pixis contenti electuarii odorem retinet et saporem, sic Spiritus Beatæ Virginis Christi dulcedinem, qui in ejus ventre novem mensibus requievit: et licet ex ejus utero nasceretur, nunquàm ejus utero à spiritu ejus vel mente recessit. Vel ideò Spiritus ejus dulcis: quia specialis apotheca Spiritus San-

cti, qui dulcedo Patris et Filii propriè nominatur. Vel dulcis super mel: nam transcendit omnem dulcedinem mundanarum, seu carnalium voluptatum. Tu. 3.

LECTIO 6.

MARIA dulcis cogitatu: undè dicit cum Filio: ego cogito cogitationes pacis. Respectu: facies enim ejus plena est gratiarum. Auditus: quia libentissimè audit preces peccatorum ab ipsis fidelitèr invocata. Olfactus: scilicet virginitalis suæ, signata per illam Virginem, quæ rhinoceros proponitur, quam ipse rhinoceros olfactu sentiens, et discernens spontè mitescit, et se reclinat ejus gremio, et obdormit. Anhelitu: undè dicit ei sponsus: odor tuus, sicut odor malorum. Gustu: undè dicit: qui edunt me, adhuc esurriunt, tanquàm cibum saporis peroptimi. Tactu: quia sicut tenet Filium, ne feriat peccatore. Amplexu: id est, ad amplectendum per dilectionem. Lingua: undè mel et lac sub linguâ ejus. Labiis: undè favus distillans labia tua. Tu. 3.

Si hoc festum transferatur, dicitur Hom. de Comm. pro Duplex.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1. 39.

In illo tempore: Exurgens MARIA abiit in montana cum festinatione in civitatem Juda. Et reliqua.

Homilia Ven. Bedæ Presbyteri.

Homil. in *Visitat. B. V.*

Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Non solum benedicta inter mulieres, sed inter mulieres benedictas majori benedictione specialitèr insignis. Benedicta est enim incomparabilitèr, quæ et divini germinis suscepit gloriam, et coronam integritatis

servavit. Benedicta inter mulieres per ejus partum virginium à natalis mulierum maledictio primæ Mariæ exclusa est. Tu. 4.

LECTIO 8.

Benedictus fructus ventris illius, per quem et semen incorruptionis, et supernæ hereditatis, quam perdidimus in Adam, fructum recepimus. Et verè ac singularitèr benedictus, qui nostro more, postquam natus est, gratiam in Domino benedictionis recepit, sed ipse ad salvandum mundum benedictus venit in nomine Domini. Tu. 4.

LECTIO 9.

Commemoratio Nosræ Dominae de Donis.

Ex variis auctoribus.

Ecclesia Avennionensis Nostræ Dominae de Donis, quæ inter cæteras cathedrales Ecclesias illarum partium claret, à Beatâ Mariâ Christi hospita (quadraginta annos post Christum natum) ad laudem ejus et gloriosæ Virginis, manu Dei, ut fama est, et antiquorum habet relatîo, et aliquorum Romanorum Pontificum præsertim Sixti quarti litteræ attestantur, consecrata existit. Anno autem trecentesimo vigesimo sexto hæc Ecclesia à Constantino Imperatore magnifico opere restaurata, seu de novo structa, cum tribus altaribus in eâ erectis ab Avinio Episcopo fuit dedicata. Postea à francis et saracenis iterum destructa Carolus Magnus anno octingentesimo vigesimo reedificavit. Summorum Pontificum tempore quo Avennionem sedem habuere Ecclesia fuit: deinde Archiepiscoporum Avennionensium. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Bonaventurâ Episcopo.

Spect. B. V. Lect. 2.

531. In ore MARIE non fuit fel, et venenum diaboli, sed mel et lac Spiritus Sancti, juxta illud Cantorum: Favos distillans labia tua: mel et lac sub lingua tua. Tu.

Vesperæ de sequent. ut in 1. Vesp. Visitation.

DIE IX. JUL.

OCTAVA VISITATION.

Duplex majus.

IN I. VESPER.

HYMNUS 280. *Parv. Marian.*

Pange lingua gloriose
Dici præconium,
In quâ Matris generose
Mundo fulget gaudium,
Perferentis copiosa
Salutis donarium.

Nobis datus et formatus

In electâ Virgine:

Per infantem honoratus

Ventre clausum feminae,

Novi lucem incolatus

Grato pandit ordine.

Ab Angelo salutata

In montana preperat:

Qua mirans considerat,

Cur tam honorificata

Mater ad se venerat.

Decorataque virtutibus

Ex Christi presentia:

Dulcisona fer omnibus

Sterilis eloquia,

Qua clamans altis vocibus

Respondet magnaia.

O quam felix et jucunda

Est hæc visitatio!

Elizabeth lætâbunda

Exultat cum Filio:

Dum fatir Virgo freunda,

Candidior lilio.

Sempiternæ Trinitati

Laus perennis gloriæ,

Quæ Sanctarum dignitati

Tantum dedit gratiæ:

Nos adseribat civitali

Cœlitum et Patriæ. Amen.

Oratio.

Adesto Ecclesiæ tuæ, Omnipotens Deus, et filios adoptionis jugiter in ejus sinu purifica, qui MARIE clausus utero Joannem in sinu Elizabeth sanctificasti. Qui vivis.

AD MATUTIN.

HYMNUS 281. *Parv. mar.*

Sacris solemnibus dat Virgo gaudia,
Novis eloquiis reserans labia:
Dæm magnificat humilis et pia
Quam gratia vivificat.

Festi recollitur dies lætissima,
Quâ ritè panditur salus uberrima,
Dudum veteribus per signa plurima
Sanctis ostensa Patribus.

Post festum cœlicum salutis veteris

Per os angelicum missum à superis,
Visitat proximam Virgo, præ cæteris

Se exhibens humillimam.

Rem admirabilem jam intellexerat,

Femineam sterilem, quæ consequenter,

Filium gerere: et dignum duxerat
Lætam salutem promere.

Te trinum Dominum, unumque colimus,

Reginæ Virginum meritis petimus:
Post vitæ terminum, due nos quo tendimus

Ad te datorem luminum. Amen.

Lect. 1. Noct. ut in die Visitationis.

IN II. NOCT.

Sermo S. Thomæ Arch. Valentini.

Conc. de Visitatione.

LECTIO 4.

Sed quænam, obsecro, itinerandi ratio? Quæ causa festinationis? Audiamus. Conceperat Elizabeth senex et sterilis miraculo dupli-

calo præcursorem Domini Joannem Baptistam, ducem et armigerum ecclesiæ regis, antesignanum totius Dominicæ phalangis. Hic adhuc ergastulo peccati originalis delinetur, et carcere peccati gravatur. Festinat Mater ad senis paritæ obsequium; sed filius festinat sanctificare suum præcursorem, eripere ac liberare suum ducem. Tu. 4.

LECTIO 5.

Ece quatuor personas totius mundi primatas, Virgo puerpera, sterilis prægnans, Verbum Domini, Propheta Domini. Duo Matres, et duo parvuli intra viscera. Audi mysterium, audi mirabile Sacramentum. Intrat Virgo domum senis, salutet eam; intrat vox illa à Verbo Dei in utero existente emissa per os Virginis in aures Elizabeth: penetral senilia viscera virtus voci impressa. Tu. 4.

LECTIO 6.

Jacebat infans in senilibus visceribus securus veluti in cervicali: tangitur virtute vocis, aperit oculos, cognoscit Deum nube carnis, et nube ventris reconditum: excutitur, exurgit, concutit latera matris, gessit erumpere, gessit clamare foras, negat exitum uterus clausus, partus immaturus erumpere non sinit membra infirma, naturâ prohibente delinetur. Tu. 4.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evang. secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 1. 39.

In illo tempore: Exurgens MARIA abijt in montana cum festinatione in civitatem Juda. Et reliqua.

Horatilla S. Ambrosii Episcopi.

Expos. in Luc. libr. 2.

MARIA in domo seria, festina in publico, mansit apud cognatam suam tribus mensibus. Etenim quæ

propter officium venerat, inhærebat officio. Mansit ergo mensibus tribus, non quod domus eam delectaret aliena, sed quia frequentius videri in publico despiciebatur. Tu. ꝯ.

LECTIO 8.

Benè inducitur Sancta MARIA et exhibuisse officium, et mysticum numerum custodisse. Non enim sola familiaritatis est causa, quòd diu mansit, sed etiam tanti vatis profectus. Nam si primo ingressu tantus processus exiit, ut ad salutationem MARLE exultaret infans in utero, repleteret Spiritu Sancto Mater Infantis, quantum putamus usi temporis Sanctæ MARLE addidisse præsentiam? ꝯ.

LECTIO 9.

Deniquè tandiù mansit MARIA, quandiù Elizabeth parienti tempus implet. Quod si diligenter advertas, invenies hoc nunquam positum nisi in generatione justorum. Deniquè impleti sunt dies, ut pareret MARIA: impletum est tempus, ut pareret Elizabeth: impletum est vitæ tempus, cum sancti viri ex hoc vitæ curriculo demigrarunt. Plenitudinem justæ vitæ habet, inanes autem sunt dies impiorum. Tu. Te Matrem.

AD LAUDES.

HYMNUS 283. *Parn. Mar.*

Verbum supernum prodiens
A fonte vivi luminis,
Homo factus est oriens.
Uterum intrans Virginis.
Mox florens Jesse virgula,
Progreditur à Nazareth,
Festiva Christi gerula,
Ut videat Elizabeth.

Ferre salutem incipit:
Hanc sentit intra viscera
Et jam ventura percipit
Qui nondum vidi aera.
Mater senior prædicat

Gesticem Verbi cœlicæ:

Illa junior explicat
Opus regis magnifici.

Hæc quasi tribus mensibus
Durat sanctorum concio,
In canticis suavibus
Gratulus Dei Filio.

JESU tibi sit gloria
Mundi Redemptor qui venis,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

CANON.

Ex Decr. Sacr. Rituum Congregat.
Die 30. Maj. 1850. Urbis et Orbis.
532. Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa Nonus in grati animi momentum erga Sanctissimam Virginem MARIAM ob beneficia ex eâ recepta, Festum Visitationis ejusdem cum octavâ celebrari præcepit. Tu.

IN II. VESP.

HYMNUS 284. *Parn. Mar.*

Magnæ dies lætitiæ
Nobis illuxit cœlitus:
MARIA thronus gloriæ
Montes pelit divinitus.
Ancilla ferens Dominaum,
Gerentem vatem visitat,
Notumque facit geminum
Donum, quod prius latitat.
Recepit nuptia Virginem,
Et salutantem prædicat:

Sic homo Deum hominem
Abstrusus clausum indicat.
In rosâ laet liliium,
Et in antiquâ flosculus:
Sed majestatis solum
Sentit et clamat parvulus.

A stellâ sol tunc geritur,
Et vatem cana bajulat:
Sed virtus solis cernitur,
Cum infans laudes cumulat.

JESU tibi sit gloria,
Mundi Redemptor qui venis,
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna sæcula. Amen.

DIE XI. JUL.

D. V. FESULANÆ DE SAXO.

Simplex.

LECTIO 1.

Balingh. Kalend. mar. die 2. Jul.
In agro fesulano per memora montuosa pascabant oves duæ puellæ, quæ sub meridiem ad declinandum solis æstum sub rupe quadam declinabant, ubi preces Deiparæ coram antiquissimâ ejus Imagine, ibi ab immemoriali tempore collocata, fundebant. Voluit Deipara eas suâ præsentia recreare. Itaque die Visitationis super nube lucidâ unâ cum Filio inter duos angelos albis induta, saxo cuidam insidens, speciosissima utique apparuit, perterritasque solata admonuit, velle se ibi templum habere, ac patrem earum ibidem alloqui. Quo accessit illi se videndam præbuit ac de templo à populo extruendo docuit. Tu. ꝯ.

LECTIO 2.

Hujus rei fama multos ad saxum illud evocavit, quare eadem Deipara die vigesima secundâ Augusti eadem specie plurimis apparuit. Clivius asperior erat, quàm ut posset complanari. Ergò ex apposito templum ædificare cœperunt, ad quod facilius ascenderetur. Cæterum quidquid interdiù opere extruissent, noctu corruerat. Unde voluntate divæ Virginis perspectâ eo loci, ubi supra saxum conspecta est, circumcirca lapidem, templum erexere, cui à Saxo titulum indiderunt. In eo miracula plurima facta sunt. Tu. ꝯ.

LECTIO 3.

Commemoratio B. V. Antuerpiensis de Peregrinis.

Gumpenb. 715.

Antuerpiæ Statua Deiparæ est sub titulo de Peregrinis, quia in pla-

teâ, quæ à multitudine peregrinantium nomen accepit Visitationum, Sacellum habebat. Prius trunco arboris affixa, post accepta beneficia ab Antuerpiensibus sacello inclusa est, quod anno millesimo quingentesimo trigesimo tertio incendio perit. Sed reddita terris pace, paulò post iterum stetit piorum ære. Rediere quoque miraculosa Deiparæ beneficia. Hoc in loco olim frequentes Deiparæ honores exhibuit magnus ille dux Godofridus Bullonius, qui Regis Jerusalemilani coronam promeruit: utiquè post ex hoc maxime loco saceres vires accepit. Ex hoc deniquè Basilicam Deiparæ struelam assertit. Tu. Te Matrem.

Vespera æquentis.

DIE XII. JUL.

CONVERSATION. APOSTOLICÆ

B. MARLE V.

Duplex.

Lect. 1. Noct. fer. occur.

IN II. NOCT.

Sermo S. Bernardi Abbatis.
Serm. de Beat. Maria, inter ejus opera.

LECTIO 4.

Virgo Sanctissima, quæ Salvatore genitum peperit, et aluit, quæ jugiter ejus adhesit lateri, quæ comes individua nullo ferè abstitit itinere, quæ intentâ præ cæteris invigilavit verbo et operi ejus, sola Salvatoris actuum insignia, operum opera, melliflua prædicationis genera inaudita contra mundum, et peccatum, et tartareum Zabulum, divinæ severitatis acerrima eloquia, quæ eis diù interfuit, specialius vidit, secretius audivit, citius agnovit, propensius refinit, et apostolis, aliisque discipulis loculentius edidit, diligentius retulit,

melius indidit, fidelius tradidit.
Tu. y.

LECTIO 5.

Hinc est, quod de eâ legitur in Evangelio: MARIA autem conservabat omnia verba hæc, confersens in corde suo. Hinc in ejus laudibus legitur: Multæ filie congregaverunt divitias, tu supergressa es universas. Licet enim in parbolis loqueretur ad turbas, licet omnia Apostolis nota faceret, ut amicis, quædam tamèn credendum est præ cæteris Matrem suam quemadmodum dilexisse, quæ etiam propensius erudisse, quædam ei secretius intinasse, frequenter eam ad montem myrhæ, et ad collem thuris sublimasse, in cellam vinarium occultasse; sui prout novit, et voluit gloriam desicam et supercælestem revelasse notitiam.
Tu. y.

LECTIO 6.

Indè Joannes in Apocalypsi, de throno, ait, scilicet de MARIA, procedebant fulgura et voces, et tonitrua: quia MARIA Mater Filii JESU—Christi parabolas, ænigmata, legalia, et mirifica gesta, dicta, opera, avidius exhibit, fidelius credidit, sincerius, luculentiusque aliis edidit. Hæc MARIA à naturâ reverentè conservata, et à lege diligentè venerata, à gratiâ clementè est prælecta: quia sic præfatis suajura singillatim reddidit, reddendo sibi subdidit, ut honoris vicem omnibus impenderet, et insuper momentiquiddam superadderet. Tu. y.

IN III. NOV. C.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 11. 27

In illo tempore: Loquente JESU ad turbas, ex tollens vocem quædam mulier de turbâ, dixit illi: Beatus

venter, qui te portavit. Et reliqua.

Hom. S. Antonini Arch. Florentini.
Titul. 15. c. 4. 3. de Assumpt. B. V.
Voluit Filius, ut post Ascensionem remaneret ad tempus in mundo Doctrix et illuminatrix Apostolorum: undequaque ipsa determinabat quæstiones de factis Dei et morum, si quæ oriebantur in Ecclesiâ primitivâ. Tu. y.

Bened. 8. Cujus conversationem apostolicam.

LECTIO 8.

Sicut autem Mater, quum habet filium mortuum, vel absentem, cum flebit sæpè respicit vestes filii; sic Beata Virgo, ut notat Beatus Hieronymus in sermone de Assumptione, visitabat loca, in quibus Filius fecerat aliquid opus mirabile, contemplando illa sacra mysteria....

Lect. 9. Hæc tamen peregrinatio dicta Beate Virginis ad loca Sancta secundum Beatum Ambrosium magis intelligenda est secundum Spiritum, quam secundum locum, scilicet, quod domi manens contempleretur, quæ Filius fecerat in illo vel illo loco. Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio B. V. Hyrachensis de Stella.

Bolland. act. Sanct. in vitâ S. Verem. die 8. Mart.

Circa annum millesimum octogesimum, cum sanctus Veremundus esset Abbas Hyrachensis Monasterii, contigit, ut mille passibus à monasterio Pastores gregem custodientes inspicerent fulgentissimas stellas, de celo lapsas super clivum, qui hodiè stellatus ideò vocatur. Quâ parte è celo in terram cadebant, in foveâ vepribus obstructâ inventa est Dei Genitricis Imago, quæ Filium tenellum supra palmam manûs habebat, angustè pulchritu-

dine prædita, quam nec loci obscuritas, nec temporum vicissitudo foverat. Mirandæ novitatis intuitus Sanctius Ramirus Navarra Rex circa eundem locum Stellam civitatem erexit, inditò à Stellis apparentibus nomine, in cultum Beate Virginis. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex D. Thomâ Archiep. Valentino.
Conc. 1. in Dom. Pentec.

533. Confluebant ad Virginem undique Christiani, videre sanctuarium Domini, sacrosanctam Deiparam, Genitricem Virginem, Deo earam, super omnes feminas benedictam, virtutis regulant, sanctitatis formam, lotius honestatis unicum decus et exemplar; cuius vitæ et magisterio in suo primordio Ecclesiæ Dei illustrata est supra modum.... Tu.

Cum 2. Vesper.

DIE XIII. JUL.

DIV. VIRG. REMENSIS.

Simplex.

LECTIO 1.

Floardardus Hist. Eccl. Remens l. 3. c. 3.

Hincmarus Archiepiscopus Remensis templum Dei Genitricis MARLE, quod à fundamentis Ebo renovare cœperat, pace, gratiaque fruens regiâ, præclari consummavit decoris eminentiâ. Insupèr et aram Sancte Genitricis auro vestivit, ac lapidibus pretiosis ornavit, variisque titulavit versibus. Tecla templi plumbeis cooperuit tabulis, ipsumque templum pietis decoravit cameris, fenestris etiam illustravit vitreis; pavimentis quoque stravit marmoreis. Crucem eminentiorem gemmis, anroque cooperuit. Alias etiam cruces tam auro, quam argento paravit. Tu. y.

LECTIO 2.

Librum quoque de ortu Sanctissimæ Dei Genitricis MARLE, sed et sermonem Beati Hieronymi de ipsius Domine Assumptione scribi fecit: et tabulis eburneis anroque vestitis movit. Pluribus denique convocatis Episcopis, sed et Carolo rege, in hæc civitatem adveniente, in honorem incomparabilis et perpetue Virginis MARLE, ut et antiqua fuerat sacrala, Basilicam solemniter dedicavit, in quâ postea multæ Deiparæ miraculis claruit.
Tu. y.

LECTIO 3.

Commemoratio B. V. Acrimontanæ de Subsidiò.

Ex Monumentis.

Acrimonte in Cathalauniâ vetustissima quædam exalt Deiparæ Sanctissime Imago sub titulo de Subsidiò, quæ à quibusdam pastoribus juxta torrentem Siò intra robum, eo in loco, ubi nunc Edicula exurgit, reperta traditur. Inventa Imago in magnifico Sacello parrochialis templi jam ab antiquo asservatur: nec indè extrahitur, nisi cum ob pluvie inopiam ad locum ubi reperta fuit, solemnè pompâ, finitimi pagis confluentibus, deducitur. Ea Virginis statua lignea est, sex cum dimidio palmis alta, colore fusco: sedens puerum ulnis sustinet; et dextera manu globulum: unâ cum Filio diutissimis vestibus omninò ludata, diademate argenteo gemmis intexto est coronata. Plurima ibi, Ipsâ invocâta, operantur prodigia, ut ex libro miraculorum ejus, qui anno millesimo centesimo quadragesimo scriptus perhibetur, aliisque scriptis satis liquet. Dominica post ejus Natalem est ipsi ab Acrimontanis solemniter sacra. Tu. Te Matrem.

Vesperæ sequenti.

DIE XIV. JUL.

OPERUM MISERICORDIÆ B. M. V.

Duplex.

Lect. 1. Noct. fer. occur.

IN II. NOCT.

Ex verbis B. Alberti Magni Ep.
Question. super missus. q. 50.

LECTIO 4.

Opera misericordiæ quæ sunt ex compassione et revelatione misericordiæ, et propter hoc dicuntur misericordiæ opera, etiã exercuit Beata Virgo in summo super omnes viatores: operum enim misericordiæ alterum est altero magis bonum, vel quod fit ex majori charitate, vel quod fit magis indigenti, vel quod magis digno indigenti, vel quod fit cum majori effectu impenso, vel quod fit ex magis necessario et minus superfluo. Hæc omnia fuerunt in beatissimâ Virgine in summo. Tu. ꝑ.

LECTIO 5.

Charitas ex quâ opera misericordiæ fecit, omnem creaturam excelsit, ut infra patebit. Maximè indigentibus tribuit: quia nemo dignior mendicis, quàm mendicis Deus fuit. Magnum enim esset opus misericordiæ, quod fieret pauperi laico, majus, quod fieret pauperi clerico, majus, quod fieret religioso, adhuc majus, quod fieret pauperi Episcopo, sed summum, quod fieret mendico Papæ: ergo improporcionabiliter summum opus misericordiæ fuit, quod fiebat Deo mendico et pauperrimo. Tu. ꝑ.

LECTIO 6.

Maximum etiã effectum misericordiæ t. obis impendit: quia nobis miseris et captivis, et mendicis Deum filium sum ipsum dedit captivis in pretium, famelicis in vialicum, laborantibus in præmium, infirmis in medicamentum,

et cum ipso nobis dedit regnum celorum, et omne bonum: qui enim proprio filio suo non pepercit, quomodo cum illo nobis omnia non donavit? Item beatissima Virgo de nullo sibi superfluo, sed omninò necessario opus misericordiæ fecit. Filio suo pauperrimo et peregrino, de propriis suis purissimis carnibus, et sanguinibus tunicam polvilam fecit, in uteri sui gremio hospitavit, de proprio corpore cibavit et lactavit. Tu. ꝑ.

Homil. de Comm. Vita actio pro Dupl. maj. Videamus.

Cum secundis vespers.

*DIE XV. JUL.

APPARIT. B. V. SALETTENSIS.

Simplex.

LECTIO 1.

Rousselot.

Anno millesimo octingentesimo quadragesimo sexto, die decimâ nonâ Septembris, horâ pomeridianâ circiter tertîâ in altissimo Alpium monte, nunc de la Sallette dicto, duobus pueris, quorum alter undecim annorum, cui Maximinus nomen, altera verò quindecim quæ Melania vocabatur, in eo monte suum quisque gregem juxta morem custodientibus, juxta fontem penitus exsiccatum ingenti claritate circumdata Deipara Sanctissima apparuit, sedens, lacrymis perfusa, caput manibus velans, aspectu venerabilis, collo appensa habens Crucifixum et instrumenta passionis, majestatem simul ac summam modestiam et intensum dolorem præ se ferens. Tu.

ꝑ. Venite filii, audite me et nolite timere: Hæc enim veni, ut magnam vobis annuntiarem. ꝑ. Trementes pastores benignè alloquitur, simulque ab eorum corde omnem depellit timorem.—Huc.

LECTIO 2.

Alacres igitur ad hæc verba illi pueri ad eam accedunt. Virgo surgit ac media inter eos duos, illis alloquens, conqueritur de frequentissimâ apud homines blasphemâ, de aperta festorum violatione, de irreligiositate in templis ac de præceptorum Ecclesiæ contemptu; minatur ingentes calamitates, nisi homines respiciant: valicatur vitis, frumenti aliorumque terræ fructuum immedicabilem morbum, futuris infantium septem annis minorum morties, venturamque famem ac magnam rerum penuriam: deniquè promittit bonorum copiam affuturam, si homines ad meliora redeant. Tu.

ꝑ. Ad eò grave, ad eò ponderosum est Filii mei brachium, ut illud sustinere ac cohibere ulterius non valeam: * Ne vos ab illo opprimamini, quotidie Filium obsecro et obtestor: id enim muneris in me suscepit. ꝑ. Recordare nostri, Domina, ut loquaris pro nobis bona et avertas indignationem Dei à nobis, —Ne.—Glor.—Ne.

LECTIO 3.

Quæ cum ita locuta fuisset, cuiuslibet Pastori secretum sibi proprium committit, quodâ neutro extorqueri nullatenus potuit; nec nisi summo Pontifici fuit communicatum. Et mandato de divulgandis apud populum suis dictis semel et iterum dato, à pueris hinc et hinc stipata, elivum descendit, ac triginta circiter passus emensa, nec incendendo herbam premens, sese à terrâ parumpè attollit, ac paulatim ex eorum oculis evanescit, magnâ post se claritate relicta. Fama hujus apparitionis statim totam Gratianopolitanam Diocesim pervasit, et ante annum non Galliam modò sed finitimos etiã

populos, ita ut ex omnibus orbis partibus ingens sit ad eum montem accursus, ubi Diva Virgo innumera patrat miracula, quorum plurima ab auctoritate ecclesiastiã ritè examinata, tanquàm cælestis concessa, declarata fuerunt. Hujus Apparitionis anniversaria dies ex indulto apostolico quotannis in eâ Diocesi celebratur. Tu. Te Matrem.

CANON.

Ex Decreto Philiberti Episcopi.

19. Sept. 1851.

534. Gratianopolitanus Antistes Philibertus de Bruillard pastorali suo mandato veram et indubitam esse Apparitionem Beate MARIE Virginitatis factam duobus pueris in monte Salettensium solemniter proclamavit. Tu.

Vesperæ de sequenti.

DIE XVI. JUL.

B. M. V. DE MONTE CARMELO.

Duplex majus.

Ad Magnif. ant. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli et Saron.

Oratio.

Deus, qui Beatissimæ semper Virginis et Genitricis tuæ MARIE singulari titulo Carmeli Ordinem decorasti: concede propitius, ut cuius hodie Commemorationem solemni celebramus officio, ejus munii presidii ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Qui vivis.

AD MATUTIN.

Inviolat. Dominum gloriæ in Nube Carmeli mirabilem, * Venite, adoremus.

Lect. 1. Noct. de Comm.

ꝑ. 1. Accipe, dilectissime fili, tui Ordinis Scapularum, meæ confraternitatis signum, * Tibi, et cunctis Carmelitis privilegium. ꝑ. In quo quis moriens æternum non patitur incendium.—Tibi.

¶ 2. Ecce signum salutis, salus in periculis, * Fœdus pacis, et pacis sempiterni. † Tibi et cunctis Carmelitis privilegium.—Fœdus.

¶ 3. Induit nos Genitrix Dei vestimento salutis, * Et indumento iustitiæ circumdedit nos. † Dedit nobis signum protectionis suæ.—Et indumento.—Gloria.—Et indumento.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex Brev. Roman. sub hac die.
Cum sacrâ Pentecostes die Apostoli cœlitus afflari, variis linguis loquerentur, et invocato augustissimo JESU nomine, mira nulla patrantur: viri plarimi, ut fertur, qui vestigiis Sanctorum Prophetarum Eliæ et Elisæ insulerant, et Joannis Baptistæ præconio ad Christi adventum comparati fuerant, rerum veritate perspectâ atque probatâ, Evangelicam fidem confestim amplexati sunt, ac peculiari quodam affectu beatissimam Virginem, cujus colloquiis ac familiaritate feliciter frui potuere, adeo venerari cœperunt, ut primi omnium in eo montis Carmeli loco, ubi Elias olim ascendente nebulam, Virginis typo insignem, conspexerat, eidem purissimæ Virgini Sacellum construxerint. Tu.

¶ Christi Virgo dilectissima, virtutum operatrix, opem fer miseris: * Subveni, Domina, clamantibus ad te jugiter. † Quoniam peccatorum mole premitur, et non est qui adjuvet.—Subveni.

LECTIO 5.

Ad novum ergo sacellum sæpè quotidie convenientes, ritibus piis, precationibus, ac laudibus, Beatissimam Virginem, velut singularis Ordinis tutelam colebant. Quamobrem fratres Beata MARLE de Monte Carmelo passim ab omnibus

appellari cœperunt, eumque titulum Summi Pontifices non modò confirmarunt, sed et indulgentias peccatares iis, qui eo titulo, vel ordinem, vel fratres singulos nuncuparent, concessere. Nec verò nomenclaturam tantum magnificentissimam Virgo tribuit et tutelam; verum et insigne sacri Scapularis, quod Beato Simoni Anglio præbuit, ut cœlesti hæc veste Ordo ille sacer dignosceretur, et à malis ingruentibus protegeretur. Ac demum cum olim in Europâ Ordo esset ignotus, et ob id apud Honorium tertium non pauci pro illius extinctione instarent, assiluit Honorio nocte piissima Virgo MARIA, planèque jussit, ut Institutum et homines benignè complecteretur. Tu.

¶ O flos Carmeli, vitis florifera, splendor cœli, * Virgo puerpera, Mater mitis, Carmelitis da privilegia. † Subveni, Domina, quæ soror nostra Mater et pueris, ad te clamantibus.—Virgo puerpera.

LECTIO 6.

Non in hoc tantum sæculo Ordinem sibi tam acceptum multis prærogativis Beatissimâ Virgo insignivit, verum et in alio (cum ubique et potentia et misericordiâ plurimum valeat) filios in Scapularis societatem relatos, qui abstinentiam modicam, præsequæ paucas eis prescriptas frequentarunt, ad pro sui status ratione castitatem coluerunt, materno planè affectu, dom igne purgatorii expiantur, solari ac in cœlestem patriam obtentu suo quantocivis, piè creditur, efferre. Tot ergo, tantisque beneficiis Ordo circumfusus, solemnem Beatissimæ Virginis Commemorationem ritu perpetuo ad ejusdem Virginis gloriam quotannis celebrandum instituit. Tu.

¶ Induite vos Scapulare San-

ctum Beatæ MARLE Virginis, * Ut possitis stare adversus insidias diaboli. † Ecce signum salutis, salus in periculis, fœdus pacis, et pacis sempiterni.—U.

Homilia de Comm. Infantia pro Semd. Quæro ergò.

¶ 7. Corde et animo Christo canamus gloriam* In hæc sacrâ solemnitate Sanctissimæ Virginis MARLE de Monte Carmelo. † Omnes in unum congregati collaudemus Dominum Jesum—Christum.—In.

¶ 8. Stirps Jesse virgam produxit, virgaque florem: * Et super hunc florem requiescet Spiritus almus. † Virgo Dei Genitrix virga est, flos Filius ejus.—Et super.—Glor.—Et super.

LECTIO 9.

Commem. Victoriæ B. V. Toletanæ.

Ex Roderico Toletano.

Alphonso Castellæ Rex, cognomento bonus, cum magnum conflasset exercitum, ut Mauros expugnaret, inito ad Navas Tolosæ certamine, omninò mauri victi, ac occisione occisi sunt. Fugato Rege cum quatuor equibus ducenta millia Maurorum occisa numerantur, cum ex Christianis viginti-quinque soli fuerint desiderati. Erat autem in vexillis regum Imago MARLE Virginis, quæ Toletanæ provinciæ, ac totius Hispaniæ semper Nutrix exiit et Patrona: ad ejus præsentiam ingens illa Maurorum multitudo terga dedit, et corruit. Hæc præclara victoria fuit sub hæc die anno millesimo ducentesimo duodecimo. Te Matrem.

Ad Bened. ant. Caput tuum ut Carmelus, et comæ capitis tui sicut purpura regis vineta canalibus.

CANON.

Ex Decreto Sacrorum Rituum Congregationis.

23. Jun. 1736. in Einsidlen.—Talu 1027.

335. Festum Beatæ MARLE Virginis de Monte Carmelo celebrandum est ab omnibus die decimâ sextâ Julii de præcepto, et servari debet decretum emanatum (per Benedictum Decimum tertium) die vigesimâ quartâ Septembris anni millesimi septingentesimi vigesimi sexti. Tu.

Ad Magnific. ant. Habitabit in solitudine judicium, et iustitiâ in Carmelo sedebit.

DIE XVII. JUL.

B. M. V. DE PORTICU.

Duplex.

Oratio.

Omnipotens sempiternæ Deus, qui legem Moysis digito tuo in tabulis lapideis descriplam dedisti et serpentem anem in eremo exallari fecisti, concede, quasumus, ut hanc sacratissimam Genitricis Filii tui Imaginem opere tuo formalam, et in hoc templo per sanctos angelos tuos misericorditè exallatam devotè veneremur, cujus intuitu à mortiferâ antiqui serpentis peste, et à quibuscumque aliis corporalibus læsionibus liberemur. Per eundem.

Lectio 1. Noct. de Ferid.

IN II. NOCT.

LECTIO 4.

Ex Officio proprio.

Inter alias quæ Romæ publicè coluntur Beatissima Virgini Imagines, illa præcipuo semper in honore fuit, quæ Sanctæ MARLE de Porticu appellatur. Hæc in palmarum gemmâ saphiro persimili, aureis lineis expressa, aliisque non vulgati pretii lapillis exornata, (quemadmodum ex constanti traditione, vestitusque monumentis habetur) mirabiliter apparuit in ædibus Sanctæ Gallæ, Patritiæ Romanæ propè

Marceli theatrum intra porticum Octaviae, unde etiã cognomen accepit. Contigit decimo sexto Kalendas Augusti, Joanne primo summo Pontifice, dum eadem Gallã duodecim pauperibus ex quotidianã consuetudine in honorem Dei ac beatæ Virginis MARLE epulum præberet. Tu. ꝯ.

LECTIO 5.

Domum verò, in quã apparuerat, à Gallã eidem Virgini oblatam, prædictus Pontifex in Ecclesiam consecravit, atquẽ in eã venerandam Imaginem, quam ipse per ministerium angelicum acceperat, reposuit. Hanc vetustate plene collapsam Sanctus Gregorius septimus restituit, iterumque dedicavit. Cælestinus autem tertius Hospitalem domum à se extructam, copiosisque redditibus auctam eidem adjunxit. Mirabilem porrò adversus publicas calamitates, et præcipuè pestis ac belli in operendã sacram hanc Imaginem majores nostri semper experiri sunt. Neque solum, eã die, quã apparuit, sed aliis quoquẽ deinceps temporibus gestalam, pestiferum morbum ab urbe depulisse traditum est. Tu. ꝯ.

LECTIO 6.

Præcedentium itaque rerum famã permotus populus Romanus, Alexandro septimo Pontifice maximo, ut à contagione, quæ urbem invaserat, liberaretur; publico sese obstrinxit voto, ampliores Sanctæ imagini sedem construendi, ipsamque in honestiori loco collocandi. Mox autem novo templo in propinquã regionis Campitelli arẽ, ad majorem populi commoditatem, et ipsius Beatæ Virginis cultum augustiori opere designato ad ipsius fundamenta primum ipse Pontifex lapidem demisit tertio Kalendas Octobris anni millesimi sexcentesi-

mi sexagesimi secundi; atque illam sacram Imaginem, et Diaconicã titulum transferri mandavit. Ipsius verò sacræ Imaginis Apparitio decimo sexto Kalendas Augusti, et per septem consequentes dies anniversario cultu, cum magnã populi Romani frequentiã celebratur. Tu. ꝯ.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

LECTIO 7. c. 2. 46.

In illo tempore: Factum est post triduum invenerunt JESUM Parentes ejus in templo. Et reliqua.

Homilia S. Titi Bostrorum Ep.

Epos. in Cap. 2. Lucae.

Deus et Dominus noster humanã responsione, quam dare licebat, repudiatã, divinam attulit, minime obscure per illam ostendens se Deum esse carni obiectum. Nam cum Deiparã Virgo JOSEPHUM, qui vulgò parens illius habebatur, patrem illius appellasset, ipse sermonem ita excepit, ut templi Dominum, hoc est, Deum non autem JOSEPHUM, patrem suum esse planum faceret. Quandò quidem cum in templo ageret: nesciebatis, inquit, quòd in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Tu. ꝯ.

LECTIO 8.

Et erat subditus illis. Ob id sponte se illis subjecti, quo filios omnes exemplo suo hinc inducat, ut debitum honoris cultum parentibus impendant, ipsique in omnibus morigeros se præsent. (Lect. 9.) Et Mater ejus conservabat omnia verba in corde suo. Quæ verba Sacrosanta Virgo conservabat? Omnia, et quæ angelus et quæ pastores, et quæ Simeon, et quæ Anna, et quæ ipsemet tandẽm Filius ad eam dixerit. Neque enim audiebat JESUM, tanquã duodecim anno-

rum puerum, sed accipiebat et observabat verba illius, tanquã viri modis omnibus perfecti. Tu.

LECTIO 9.

Commemoratio Sanctæ MARLE Scalæ Cœli.

Spinelli. p. 678.

Sancta MARIA Scala Cœli ad aquas salvas tertio ab urbe Romæ lapide ad collem parvum, ubi est exitus fons, qui gutta jugiter manans vocatur, propè Sanctorum Martyrum Vincentii et Anastasii templum, ac propè tres fontes, ubi Sanctus Paulus Apostolus pro Christo capite est cæsus. Sub hoc oratorio Scalæ cœli, quòd figurã rotundã curæ Patrum Ordinis Cisterciensis Sancti Bernardi est demandatum, corpora Sanctorum Martyrum Zenonis ac decem milium ducentorum et trium requiescunt, et per fenestram conspicuntur, qui ad thermas diocletianas extruendas pro fidei confessione damnati erant. Dicitur Scala cœli, quia Divus Bernardus ibi celebrans pro defunctis scalam vidisse fertur, quã è Purgatorio animæ, ejus suffragiis liberatæ, in cœlum ab angelis deducebantur. Tu. TcMatrem.

Ad Benedict. ant. Hæc est illa piæ Genitricis Imagis MARLE, quæ discumbenti Gallæ paruit metuenti.

Cum 2. Vesperis.

DIE XVIII. JUL.

D. V. PISTORIIENSIS, DE HUMILITATE.

Semiduplex.

Lect. 1. Noct. fer. occur.

IN II. NOCT.

Sermo S. Fulberti Ep. Carnutensis.

Serm. in Nat. B. V.

LECTIO 4.

Dixit æternus ad veterem, Deus ad serpentem; in inimicitias ponam inter

te et mulierem, et semen tuum, et semen illius. Quid est, fratres, in hoc loco serpentis caput conterere, nisi principalem Diaboli suggestionem, id est, concupiscentiam resistendo superare? Si ergo quatuor tanquam mulier hujusmodi victoriam operata sit, profectò non reperitur in linẽa generationis humane, donec perveniat ad illam, de qua agitur, Sanctorum Sanctissimam. Tu. ꝯ.

LECTIO 5.

At si interrogetur, in quo serpentis caput vel ipsa contrivit? Nimirum in eo, quod virginitatem simul et humilitatem Deo sacrificavit. Virginitate namque servatã probatur extinxisse concupiscentiam carnis: humilitate, quæ facit pauperem spiritu, concupiscentiam mentis. Siquè principali suggestione diaboli vitiorum caput virtutis pede contrivit. Non tamẽ hoc solo, sed eo quãdã maximè triumphavit, quòd de suã mundissimã carne corporata sapientia vici usquequãquẽ malitiam, attingens à fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter. Hæc est ergo mulier, ad quem divinum illud intendebat oraculum, hanc quandòque nascituram innuebat, hanc singularitèr jotimabat. Tu. ꝯ.

LECTIO 6.

Ex officio proprio.

Sanctissimam Dei Matrem in antiquissimam ejus imaginem Pistorienses sub speciali Humilitatis titulo, magnifico extracto Templo, singulari religione venerantur. Vetulus enim apud eos, et constans fama percrebuit, anno salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo cum intestinis civium odiis universæ Patriæ clades immineret, ex eadem Imagine sudorem quendam